

de speciebus, quod eadem numero species erunt in superioribus, et in inferioribus, sed in superioribus perfectæ, et unicæ, in inferioribus minus, respondetur quod potentia intellectiva non potest magis multiplicari in superioribus Angelis, quam in inferioribus, imo quam in hominibus, quia potentia est vis intellectivæ naturæ per modum virtutis ex parte naturæ, et subjecti, quæ potest in totum ens eo quod omne intelligibile est objectum adæquatum ejus. Unde non habet per quid dividatur, et multiplicetur in eodem subjecto, si quidem est potentia universalissima, et virtus tendens ad omne ens hoc ipso quod intellectiva est, solum autem differt in diversis naturis ex diverso modo, et actualitate, qua magis vel minus immaterialiter tendit in sua objecta. At vero species non se habent sicut ipsa potentia, quæ respicit objectum per modum universalis tendentiæ in quodcumque intelligibile, sed sunt repræsentationes ex parte objecti se tenentes tamquam vice objecti subrogatæ in potentia, quæ determinant indifferentiam potentiæ; et sic ex diverso modo repræsentandi diversa objecta divesificantur. Et licet possint aliquæ species complecti plura objecta in manifestatione, seu modo manifestandi superiori, aliæ pauciora, hoc ideo est, quia objecta illa uniuntur in aliqua ratione manifestabili, et intelligibili superiori prout in se objecta conveniunt, vel ab ideis divinis exemplantur. Sed negamus posse easdem numero species æque poni in intellectu inferiori, atque in superiori, quia si superiores, et universaliores sunt, non repræsentabunt inferiori intellectui distincte, et proprie res ipsas, sicut superiori quia improporcionatæ illi sunt; et ideo ad habendam propriam cognitionem, oportet multiplicari species. Et quia

propriam munus speciei est repræsentationem objectorum propriam facere; ideo simpliciter oportet multiplicari species in inferioribus, ubi non potest distincta notitia, et repræsentatio objectorum fieri, nisi multiplicatis, et divisis speciebus, ut in nobis constat: quod non currit de potentia ipsa, seu virtute intelligendi ad quam non pertinet distincte objecta manifestare repræsentando, sed solum secundum suum modum in illa tendere actum eliciendo.

XXV. Ad rationem ergo dubitandi in hac secunda difficultate allatam, quod perveniri potest ad Angelum qui omnia intelligat unica specie, respondeo primo, id non sequi in Angelis inferioribus respectu superiorum, quia de quolibet superiori debet inferior habere speciem distinctam, non eandem cum specie rerum inferiorum. Cujus ratio est, quia Angeli superiores excedunt virtutem Angeli inferioris: ergo oportet quod ut repræsententur intellectui inferioris secundum capacitatem ejus, quilibet repræsentetur secundum distinctam speciem, non autem omnes superiores Angeli per modum unius inter se, et multo minus ut unum cum rebus inferioribus: nam si quilibet Angelus superior, est excedens, et improporcionatus capacitati inferioris, si plures uniantur in una ratione superiori, illa magis conducet ad improporcionandum, quam ad coaptandum Angelos superiores inferioribus. Unde et Angeli superiores quando illuminant inferiorem rationes illas superiores multiplicat, et dividunt ut ab inferiori capi possit, ut ex D. Dionysio docet S. Thomas infra qu. cvii, art. 1, quod exemplo nostri intellectus comprobatur, quia tardiores intellectus non possunt ita unite intelligere, sed indigent dividi sibi, et multiplicari ea quæ intelligere

volunt. Quare nunquam stare potest quod Angelus inferior, qui habet alium superiorem possit intelligere omnia objecta, quæ sunt extra se per unicam speciem: nam etiam dato quod inferiora sibi intelligeret per unicam speciem tamen superiores naturas per distinctas species debet intelligere; et sic nunquam omnia per unicam speciem.

XXVI. Loquendo ergo de Angelo supremo respectu omnium infra se, vel de quolibet Angelo respectu suorum inferiorum (nam seipsum quilibet Angelus cognoscit per propriam substantiam loco speciei) duplex est modus probabilis respondendi, qui in re tam obscura, et nobis impenetrabili sufficiens judicari debet. Primus censet non esse inconveniens quod quilibet Angelus intelligat omnia sibi inferiora per unicam speciem, nec id videtur superare capacitatem intellectus angelici, eo quod habet perfectionem superantem omnia illa quæ sibi inferiora sunt; et sic non repugnat, quod per unam speciem sibi proportionatam omnia illa possit unire in repræsentatione. Pro quo modo dicendi p. Suarez lib. II de Angelis, c. xvi, num. xv et xvi, citat Cajetanum et nonnullos Thomistas, aliosque auctores.

Et si instetur, quod Angelus inferior si intelligit omnia sibi inferiora per unam speciem: ergo Angelus immediate illi superior intelliget eadem inferiora sine ulla specie, vel per suammet substantiam, quia debet intelligere altiori modo, et per pauciores species, nec est aliquis altior modus, quam per nullam, vel per suam substantiam, aut si intelligit per unam, sicut inferior habebit æqualem speciem cum illo respectu inferiorum, respondetur facile, quod semper Angelus superior retinet speciem universaliorum, quam immediate sibi inferior, eo

quod complectitur plura in illa unica specie, quam inferior, nempe omnia quæ inferiori Angelo repræsentantur in sua specie, et superaddit aliquid aliud, nempe ipsummet Angelum inferiorem, quem cum reliquis rebus inferioribus repræsentat: respectu autem superiorum Angelorum habebit species distinctas, et sic semper superior Angelus habebit pauciores species quam inferior, nam Angelus inferior habebat de illo superiori Angelo speciem, et de omnibus sibi inferioribus aliam, seipsum autem per suam substantiam intelligit. Angelus autem superior de seipso non habet speciem accidentalem, sed se intelligit per suam substantiam. De Angelo autem inferiori, et reliquis rebus habet unam tantum speciem. De superioribus autem tot habet quot sunt superiores, sicut etiam habebat inferior Angelus. Deveniendo autem ad Angelum supremum ille intelliget etiam omnia inferiora sua per unicam speciem, et seipsum per suam substantiam: si autem crearetur alius Angelus superior, et tunc desineret esse supremus, ille alius superior inferiora omnia etiam per unicam speciem intelliget, in illa tamen includet etiam Angelum, qui antea erat supremus, quia sibi inferior est, et in hoc excedet speciem illius, quia hæc repræsentabat omnia inferiora illi Angelo, sed non ipsummet Angelum, quia cognoscebat se per suam substantiam. Et ulterius ille Angelus superior qui de novo creatus habebit pauciores species quam ille qui ante erat supremus, quia ille hoc ipso quod creatur Angelus supra ipsum, hoc ipso recipiet speciem repræsentantem sibi ipsummet superiorem; et sic jam habebit duas species unam de superiori, alteram de omnibus inferioribus: ille autem qui de novo creatur solum habebit unam de

omnibus inferioribus, nullam autem de aliquo superiori.

XXVII. Alii vero existimant valde difficile quod unus Angelus possit per unam speciem omnia sibi inferiora intelligere: sic enim minimus Angelus omnia corpora unica specie intelliget, quod videtur valde incredibile. Et ideo dicunt quod nunquam pervenitur ad aliquem Angelum, qui unica specie omnia inferiora cognoscat. Primo quidem, quia universalitas specierum ut sit major, non est necesse, quod plures species rerum adunet, et repræsentet, sed sufficit quod circa eandem rem plures rationes intelligibiles penetret, ut docet S. Thomas qu. VIII de verit. art. x ad II, id est, plures respectus ad causas latentiores, ut mox dicemus: vel etiam plura individua ex possibilibus possit in eadem re penetrare. Neque hoc contra rationem comprehensionis est, ut objicit Suarez citatus, quia licet quilibet Angelus comprehendat inferiorem naturam, intelligitur hoc de comprehensione absoluta, quantum ad ea scilicet quæ absolute, et in ordine ad se conveniunt rei: non autem de comprehensione respectiva, quia non videt omnia quæ tali naturæ possunt convenire respectu aliarum causarum superiorum, v. g. respectu superiorum Angelorum, qui aliqua poterunt causare circa talem naturam quod non poterit causare Angelus inferior, idque non ita perfecte intelligit inferior Angelus, sicut superior. Itaque istas latentes rationes, et connexiones causarum non æque percipiunt omnes; et ideo in hoc potest crescere major universalitas specierum comprehendendo plures rationes, etiam respectu ejusdem rei ad quas tamen inferior Angelus pluribus speciebus indigebit, si eas distincte, et perfecte debet cognoscere. Et sic non quælibet universalitas ma-

ior specierum exigit plures quidditates adunare, sed sufficit plures rationes ejusdem.

XXVIII. Secundo, etiamsi quilibet Angelus superior habeat speciem magis universalem in hoc quod plures quidditates específicas adunet in ea; et sic addendo unam quidditatem alteri, possit perveniri ad unum Angelum, qui omnia corporalia unica specie intelligat, tamen non eadem facilitate plures quidditates spirituales perfecte adunantur in una specie proportionate ad capacitatem intellectus superioris propter maximam perfectionem spirituum substantiarum, quarum accidentia, et affectiones, seu operationes intelligibiles, et voluntariæ, sunt majoris multitudinis, et latentioris profunditatis, et superioris perfectionis; et ideo magis indigent multiplicatione specierum ut distincte cognoscantur. Fortassis etiam inter ipsas res corporeas aliquæ sunt tantæ perfectionis, quod non possunt ita facile penetrari unica specie simul cum aliis, sed indigent pluribus. Itaque in istis aliquid sic vel sic amplius determinare, omnino incertum est, cum nobis manifestata non sit mensura, qua singulos Angelos Deus mensus est. Sufficit aperire viam, ne deveniatur ad hoc, ut Angelus se, et omnia tam inferiora quam superiora unica specie cognoscat.

XXIX. Circa tertiam difficultatem breviter dicimus, non repugnare quod omnia ea, quæ una specie repræsentantur, unico etiam actu adæquato ab Angelo intelligantur, dummodo in ipsis rebus sint conditiones debitæ, et requisitæ, ut res possint attingi ab Angelo, scilicet quod non sint intra causas, nec ad genus moralitatis pertineant, sed ad genus naturale, et tamquam aliquid hujus universi: potest etiam Angelus uti aliqua specie inadæquate ad

intelligendum aliquid in tali specie contentum, et non omnia. Quocumque vero modo, sive in ipsa repræsentatione speciei, sive in ipsa cognitione, non sequitur infinitas. Constat hoc ex D. Thoma, nam infra qu. LVIII, art. II resolvit, quod: « Angeli omnia illa simul possunt intelligere, quæ una specie cognoscuntur, non illa quæ diversis. » Idem autem est apud D. Thomam simul intelligere, et uno actu intelligere: nam de cognitione qua cognoscunt Angeli res in Verbo dicit ibi, quod: « Simul omnia cognoscunt, quia non erunt volubiles cogitationes ex aliis in alias redeuntes, sed omnem scientiam nostram uno simul conspectu videbimus: » ergo idem est simul cognoscere, et uno actu cognoscere, quia in patria uno actu cognoscuntur omnia in Deo. Similiter quod possit Angelus inadæquate uti specie illa quam habet, docet S. Thomas in quæstione VIII, art. XIII ad II et IV, ubi docet posse Angelum uti una specie ad diversas cognitiones habendas; et ideo Angelus qui videt in alio species quas habet, non videt cogitationem, et usum earum, quia potest uti specie illa in hanc vel illam partem.

Ratio autem hujus est, quia species proportionatur lumini, et potentiae cui datur, si debita, et proportionata illi est. Ergo si utatur intellectus sua virtute, et lumine adæquate, poterit omnia illa adæquare, quæ in tali specie repræsentantur, et consequenter unico actu videre. Sed quia vis intelligendi in suo exercitio subditur moderationi voluntatis, potest uti aliqua specie, et lumine, non adæquate, sed per inadæquatos conceptus, vel unum tantum objectum intelligere, vel non omnes rationes intelligibiles de eodem. Et sic potest præscindere diversos conceptus, et prædicata, quæ

rebus conveniunt, sicque formare conceptum de genere, aut specie, aliisque gradibus seorsum unum ab alio, vel etiam accipere aliqua accidentia unius rei, et non alia loquendo de consideratione actuali, quam pro libito exercere potest, supponendo tamen quod habet comprehensivam cognitionem de rebus tum habitualiter in vi specierum, et efficaciam luminis, quia potest proxime intelligere adæquate, et perfecte rem sibi proportionatam; tum quia actualiter utitur tali comprehensione quando perfecte, et adæquate se determinat ad aliquid; tum denique, quia licet in specie repræsentante plures quidditates, non semper respiciat ad omnes simul, utendo adæquate tali specie, tamen si aliquam illarum intelligat, comprehensive, et plene intelliget quantum est ex vi luminis, licet pro libito, et applicatione voluntatis possit omittere in consideratione aliqua ex pertinentibus ad talem rem.

XXX. Quod vero infertur pro inconvenienti, quod poterit Angelus cognoscere, vel illa species repræsentare infinita, in primis quod attingit ad infinitum actu, nunquam hoc sequitur, quia Angelus non cognoscit de facto, neque species sibi repræsentant nisi ea quæ ad hoc universum in ordine naturali spectant: hæc enim est ejus sphaera, et propria limitatio, ut sequenti disputatione dicemus. In hoc autem universo nunquam actu, et simul erunt infinita; quod est infinitum categorematice. Quod vero sint infinita in potentia, aut possint infinita succedere, et illa omnia possit Angelus per eandem speciem successive intelligere, nihil inconveniens est, neque hoc arguit infinitatem simpliciter, sed secundum quid, sicut eadem potentia intellectiva potest infinitas intellectiones suc-

cessive elicere, et idem cœlum infinitas circulationes, et illuminationes habere, si duraret motus ejus in æternum. Deinde dicitur, quod licet repræsentare unum individuum, vel unam speciem sit perfectio, et repræsentare aliam major perfectio, tamen repræsentare infinita est infinita perfectio, distinguo; est infinita perfectio in genere determinato superabilis, et vincibilis per perfectionem finitam superioris ordinis, concedo; est perfectio infinita simpliciter, et non contenta sub aliquo superioris ordinis, nego. In his enim calculationibus incidit defectus, quia numeratur perfectio ex accretione majoris excessus in aliquo genere inferiori, quæ quidem non pertransitur infinito modo, sed in aliquo finito superioris ordinis continetur: ea enim quæ inferioris generis seu ordinis sunt, licet in infinitum multiplicari possint in se, tamen non requiritur ad illa vincenda infinitus transitus, sed sufficit poni aliquid superioris ordinis, quod hoc ipso quod superioris ordinis est, licet sit finitum in se, æquivalet in-

finitis ordinis inferioris, id est, toti generi inferiori, quia omnia superat in perfectione, sicut rex æquivalet omnibus subditis, et superat in dignitate, et cœlum infinitis corruptibilibus sibi inferioribus; et sic de aliis. Quare infinitæ illæ repræsentationes de individuis, vel de speciebus modo inferiori factis exceduntur per unam repræsentationem altioris ordinis derivatam ab ideis divinis, quæ plura illa in unum adunare potest. Nec obstat quod dicitur, speciem quæ repræsentat duas vel tres quidditates posse etiam repræsentare plures in infinitum; respondetur enim quod cum istæ plures quidditates repræsententur quatenus uniuntur sub aliqua ratione formæ, id est, una, sive sit ratio sub quæ, sive ratio quæ, limitatur semper specie repræsentativa ad non admittendum plures quidditates, quam quæ sub illa formali ratione contineri possunt, quæ finita est; et ita a qualibet quidditate repræsentata inadæquate limitatur illa species, et ab omnibus ut contentis sub illa ratione formali, adæquate.

QUÆSTIO LVI.

DE COGNITIONE ANGELORUM RESPECTU IMMATERIALIUM.

SUMMA LITTERÆ.

Tria tractat D. Thomas in hac quæstione.

Primum, in articulo primo quod Angelus cognoscat seipsum, imo sibi ipsi deservit pro specie intelligibili, quia est intelligibilis in actu per se, et non in potentia.

In articulo secundo ostendit secundum, scilicet quod cognoscit alios Angelos, quia impressæ sunt cuilibet Angelo a Deo similitudines tam corporalium quam spiritualium rerum, atque adeo etiam spirituales res potest intelligere.

Tertium determinat articulo tertio quod Angelus per sua naturalia Deum cognoscit, non quidem videndo Deum per essentiam, quod est proprium beatorum, nec cognoscendo Deum solum per cognitionem ab aliis rebus acceptam, sicut nos videmus Deum in speculo, quia ex aliquo externo, seu extra nos sumimus cognitionem, sicut speculum est aliquid extra videntem, sed per cognitionem desumptam a sua substantia, quæ est immediate effectus Dei. Et quia substantia Angeli deservit sibi pro specie immediate ad se, mediate ad suam causam, quæ est Deus, et intime illa substantia actuat intellectum, dicitur cognoscere Deum per seipsum tamquam per similitudinem, seu speciem. Sed quia hæc substantia continet Deum solum abstractivè, et connotative, et tamquam in alio contentum, dicitur repræsentare Deum, sicut in speculo, quia Angelus speculum, et signaculum Dei est.

QUÆSTIO LVII.

DE ANGELORUM COGNITIONE RESPECTU RERUM MATERIALIUM.

SUMMA LITTERÆ.

In articulo primo determinat Angelos cognoscere res materiales, quia superiora semper continent inferiora eminentius, et perfectius quam in se sint. Angeli autem perfectiores sunt rebus materialibus, et propinquiores Deo: debent ergo continere eas perfectius perfectione convenienti juxta modum suum, id est, perfectione intelligibili, quia intellectualis naturæ sunt: intelligunt ergo res materiales.